


46


70 an



Th. dp. q. 626

Th.dp.q.626/636, Titel

© 2026 Universitätsbibliothek Würzburg



Th.dp.q.626/636,

© 2026 Universitätsbibliothek Würzburg

LEONI DECIMO PONTIFICI ROMA-
no, Martinus Lutherus salutem in Christo Iesu
domino nostro, Amen.



INTERmonstra huius seculi, cum
quibus mihi iam in tertium annum
res & bellum est, cogor aliquando
& ad te suspicere, tuique recordari,
Leo pater beatissime, immo cum tu
solus mihi belli causa passum habeas,
non possum unquam tui non memi-
nisse. Et quamquam impijs adulatoribus

tuis in me sine causa sceleribus, coactus fuerim a sede tua
ad futurum prouocare Concilium, nihil ueritus Pij & Iulij
tuorum predecessorum uanissimas constitutiones, id ipsum
stulta tyrannide prohibentium, non tamen unquam interim
animum meum a tua beatitudine sic alienauit, ut non totis
uiribus optima quaeque tibi sedique tuae optarim, eademque se-
dulis, atque quantum in me fuit, gemebundis precibus apud
deum quaesierim. Atque eos qui me autoritatis & nomi-
nis tui maiestate hactenus terrere conati sunt, pene contem-
nere ac triumphare coepi. Vnum super esse uideo, quod con-
temnere non possum, quae causa fuit, ut denuo scriberem
ad T. B. Haec est, quod accusari me & magno uertimih iudi-
cio intelligo meam temeritatem, qua nec tuae personae pe-
percisse iudicor.

*Constitutiones
ad concilium
prouocare
prohibent.*

*Harum literarum
ad Leonem
causa.*

Ego uero, ut rem aperte confitear, conscius mihi sum,
ubicumque tuae personae meminisse oportuit, non nisi magni-
fica & optima de te dixisse: Si uero a me secus factum esset,
ipsemet nullis modis probare possem, & illorum de me iudi-
cium omni calculo iuuarem, nihilque libentius quam palinodiam
huius temeritatis & impietatis meae canerem. Appellauit te
A ij Danielem

EPIS TOLA LV THER I

Quo Lutherus pontificis traiauerit. Danielem in Babylone: & innocentiam tuam insignem aduersus contaminatorem tuū Sylicstrum, q̄ egregio studio tutatus sim, quibus lector intelligit abunde: scilicet, celebratior & augustior est in omni terrarum orbe, tot tantorum uirorum literis cantata opinio & uita tua inculpatæ fama, q̄ ut a quouis, uel maximi nominis, possit quauis arte impeti. Non sum tam stultus, ut cum incessam, quem nullus nō laudat, quin & mei studij fuit eritq; semper, nec eos incessere quos publica fama fœdat, nullius enim delector crimine, qui & ipse mihi satis conscius sum magnæ trabis mex in oculo meo, nec primus esse queam, qui in adulterā lapidem mittat.

Lutherus quare tā dure in aduersarios inuectus sit. Communiter quidē in impias doctrinas inuectus sum acriter, & aduersarios, non ob malos mores, sed ob impietatem, nō segniter momordi, cuius me adeo non pœnitet, ut animum induxerim, contempto hominum iudicio, in ea uix hementia zeli perseverare, Christi exemplo, qui genimina uiperarum, cæcos hypocritas, filios diaboli, suos aduersarios pro zelo suo appellat. Et Paulus filiū diaboli, plenum omni dolo & malitia Magum criminatur, canes, subdolos, cauponatores quosdam traducit. Vbi si des molliculos istos auditores, nihil erit Paulo mordatius & immodestius. Quid mordatius Prophetis? nostri sane seculi mores ita delicatos reddidit, adulatorum uesana multitudo, ut q̄ primum nostra non sentiamus probari, morderi nos clamemus, & cum ueritatem alio titulo repellere nequeamus, mordacitatis, impatiētia, immodestia: pretextu fugimus. Quid proderit sal, si non mordeat? Quid os gladij, si nō cadat: maledictus uir, qui facit opus domini fraudulenter. Quare, optime Leo, his me literis rogo expurgatum admittas, tibiq; persuadeas, me nihil unq̄ de persona tua mali cogitasse, deinde me talem esse, qui tibi optima uelim

AD LEONEM ROM. EPISCOPVM.

uelim contingere in aeternum, neq; mihi cum ullo homine de moribus, sed de solo uerbo ueritatis esse cōtentionem. *Contentio Lutheri.*
 In omnibus alijs cedam cuius, uerbum deserere & negare nec possum nec uolo. Qui aliud de me sentit, aut aliter mea hausit, non recte sentit, nec uera hausit.

Sedem autem tuam (quæ curia Romana dicitur, quam *Curia Romana.*
 neq; tu, neq; ullus hominum potest negare, corruptiorem esse quam Babylonem & Sodoma, & quātum ego capio, prorsus deplorata, desperata, atq; conclamata impietatis) sane detestatus sum, indigneq; tuis, sub tuo nomine, & prætextu Romanæ Ecclesiæ, ludi Christi populum, atq; ita restiti, resistamq; dum spiritus fidei in me uixerit: non quod ad impossibilia nitam, & sperem mea solius opera, tot repugnantibus furis adulatorum, quicq; promoueri in ista Babylonem confusissima: Sed quod debitorem me agnoscam fratrum meorum, quibus consuli a me oportet, ut uel pauiores, uel mitius a Romanis pestibus perdant. Neq; enim aliud e Roma iam a multis annis in orbem inundat (quod non ignoras ipse) q̄ uastitas rerum, corporum, animarum, & omnium pessimarū rerum pessima exempla. Luce em hæc omnibus clariora sunt, & facta est Romana Ecclesia, *Romana Ecclesia.*
 quondā omnium sanctissima, spelunca latronū licentissima, lupanar omnium impudētissimū, regnū peccati, mortis & inferni, ut ad malitiā, quod accedat, iam cogitare nō possit ne Antichristus quidē si uenerit.

Interim tu Leo, sicut agnus in medio luporum sedes, sicut Daniel in medio leonum, & cū Ezechiele inter scorpiones habitas. Quid his monstris unus opponas? adde tibi eruditissimos & optimos Cardinales tres aut quattuor. Quid hi inter tantos? ante ueneno omnibus percundū uobis, q̄ de remedio statuere præsumeretis. Actum est de Romana curia, peruenit in eam ira dei usq; in finem: Concilia
 A iij odit,

EPISTOLA LVTHERI

odit, reformari metuit, furorē impietatis suae mitigare nequit, & implet matris suae elogium, de qua dicitur: Cura uimus Babylonem, & nō est sanata, derelinquamus eam. Officij quidem tui, Cardinaliumq; tuorum, fuerat, his malis mederi, sed ridet medicam ista podagra manum, & nec currus, nec audit habenas. Hac affectiōe tactus dolui semper optime Leo, his seculis te pontificem factum, qui melioribus dignus eras: Non enim Romana curia meretur te tuicq; similes, sed Satanam ipsum, qui & uere plusq; tu in Babylone ista regnat. O utinam deposita ista quā tibi gloriam esse iactant hostes tui perditissimi, priuato potius sacerdotiolo aut hereditate paterna uictitares, hac gloria gloriant, nō sunt digni, nisi Schariotides, filij perditionis. Quid enim facis in curia, mi Leo, nisi, ut quo quisq; est sceleratior & execrator, eo felicius utatur tuo nomine & autoritate, ad perdendas hominum pecunias & animas, ad multiplicanda scelera, ad opprimendam fidem & ueritatem cū tota Ecclesia dei? O reuera infelicissime Leo, & periculosissimo sedens solio, ueritatem enim tibi dico, quia bonati bi uolo. Si enim Bernhardus suo Eugenio compatitur, cū adhuc meliore spe Romana sedes, licet tum quoque corruptissima, imperaret: Quid nos non queramus, quibus in trecentis annis tantum accessit corruptionis & perditionis: Nonne uerum est, sub uasto isto caelo, nihil esse Romana curia corruptius, pestilentius, odiosius: incomparabiliter enim turcarum uincit impietatem: Ut reuera, quae olim erat ianua coeli, nunc sit parens quoddam os inferni, & tale os, quod, urgente ira dei, obstrui non potest. Vno tantum relicto miseris consilio, si queamus aliquot a Romano (ut dixi) isto hiatu reuocare & seruare, Ecce mi Leo pater, quo consilio, qua ratione, in sedem istam pestilentis debachatus sim, tantum enim abest ut in tuam personam suam

Satana nō Papa Romae regnat.

Ad oīa flagitia Pontificis noīe utuntur scelerati.

Bernhardus Eugenio compatitur.

Vnū consilium in corrupta hodierna Ecclesia relicto

AD LEONEM ROM. EPISCOPVM.

nam fauorem, ut sperarem etiam gratiam initurum me, & pro tua salute statutum, si carcerem istum tuum, immo infernum tuum, strenue & acriter pulsarem, Tibi enim tuarum salutem profuerit & tecum multis alijs, quicquid in impietate huius seculi curiae confusionem moliri potest omnium ingeniorum impetus. Tuum officium faciunt, qui huic male faciunt, Christum glorificant, qui eam omnibus modis execrantur, breuiter, Christiani sunt, qui Romani non sunt.

Sed ut amplius loquar, nec hoc ipsum unquam super cor meum ascendit, ut in Romanam Curiam inuaderem, aut quicquam de ea disputarem: Videns enim desperata omnia salutis remedia, contempsi, & dato repudij libello, dixi ad eam: Qui sordet, sordescat adhuc, & qui immundus est, immundus sit adhuc, tradens me placidis & quietis sacrarum literarum studijs, quibus prodessem fratribus circum me agentibus. Hic cum non nihil proficerem, aperuit oculos suos Satan, & seruum suum Ioanem Eccium, insignem Christi aduersarium, extimulauit indomita gloriae libidine, ut me traheret in harenam insperatam, captans me in uno uerbulo, de primatu Romano Ecclesiae, mihi obiter elapso. Hic Thrafo ille gloriosus, spumans & frendens iactabat: Pro gloria dei, pro honore sanctae sedis Apostolicae omnia se ausurum, & de tua in status abutenda sibi potestate, nihil certius expectabat quam uictoriam, non tam primatum Petri, quam suum principatum inter Theologos huius seculi, quarens, ad quem non paruum momentum habere ducebat, si Lutherum duceret in triumpho. Quod ubi Sophistae infeliciter cessit, incredibilis furia hominem exagitat, sentit enim sua culpa solius factum esse, quicquid Romanae infamiae per me natus est.

Qui Lutherum ad scelera imposterum persequenda excitauerint.

Atque sine me quae optime Leo, hic & meam aliquando causam agere, uerosque tuos hostes accusare. Notum esse arbitror tibi, quid mecum egerit Cardinalis sancti Sixti,
Legatus

EPISTOLA LVTHERI

Cajetanus Cardinalis. Legatus tuus, imprudēs & infelix, immo infidelis: In cuius manu, ob tui nominis reuerentiam cum me & omnia mea posuiffem, nō hoc egit, ut pacē statueret, quā uno uerbulo potuiffet facile statuere, cum ego tum promitterem silentium & finem causæ mee facturum, si aduersarijs idem mandaref. At homo gloriæ, non contentus eo pacto, cœpit aduersarios iustificare, licentiam aperire, & mihi palino diam mā dare, id quod in mandatis prorsus nō habuit, hic sane, ubi causa in optimo loco erat, illius importuna tyrannide uenit in multo peiorem, unde quicquid post hæc secutum est, nō Lutheri, sed Caietani tota culpa est, qui ut silerē & quiescerem nō est passus, quod tum summis uiribus poscebam, quid enim facere amplius debuit?

Carolus Militius. Secutus est Carolus Militius, & ipse B. T. nuncius, qui multo & uario negotio cursans & recurfans, nihilq; omitteus quod ad reparandum causæ statum, quem Caietanus temere & superbe turbauerat, pertineret, uix tandē etiā, auxilio illustrissimi principis Friderici electoris, effecit, ut semel & iterū familiariter mecū loqueret, ubi denuo tuo nomini celsi, paratus silere, acceptans etiā Iudicem uel Archiepiscopum Treuerē, uel Episcopum Numburgeñ, atq; ita factum & impetratū: Dū hæc spe bona agunt, Ecce al-

Iudices Lutherianæ cause electi.

Eccius. Disputatio Lipsica.

ter & maior hostis tuus irruit Eccius, cū disputatione Lipsica, quā instituerat cōtra D. Carlstadiū, & noua accepta de primatu Papæ quæstione, in me uertit insperatum arma, & penitus hoc conciliū pacis dissipat. Expectat interim Carolus Militius, disputat, iudices eliguntur, nec hic aliquid decernit, nec mirū, quādo Eccij mēdacijs, simulationibus, reclinis, omnia ubiq; erāt turbatissima, exulceratissima, cōfusissima, ut quocunq; inclinasset sentētia, maius esset exiturū incēdium, gloriā enim nō ueritatē quærebar, nihil etiā hic omisi, quod a me fieri oporteret.

Et fateor,

AD LEONEM ROM. EPISCOPVM

Et fateor, hac occasione, non parū uenisse ad lucem Romanarum corruptelarum, sed in qua siquid peccatum est, Eccij culpa est, qui onus supra uires suscipiens, dum gloria suam furiose captat, ignominiam Romanam in totum debem reuelat. Hic est ille hostis tuus, mi Leo, seu potius curia tua: huius unius exemplo discere possumus, nō esse hostem adulate nocentiorē. Quid enim sua adulatio, ne promouit, nisi malum, quod nullus regum promouere potuisset: fueret enim hodie nomen Romanæ curiæ in orbem, & læquet papalis autoritas, famosa inficitia male audit, quorum nullum audiremus, si Eccius, Caroli & meum de pace consilium non turbasset, id quod non obscure & ipse sentit, sero & frustra indignatus in libellorum meorū ædicionem, hoc debebat tum cogitare cū totus in gloriam, sicut hinniens emissarius, insaniret, neq; alia, q̄ sua in te, tuo tamē maximo periculo, quæreret. Sperabat homo uanissimus me formidine nois tui cessurum & taciturū (nā de ingenio & eruditione nō credo q̄ præsumpsit) Nunc cū nimio me cōsidere & sonare uideat, sera pœnitentia temeritatis suæ, intelligit esse in coelo, qui superbis resistat, & præsumentes humiliet, si tamē intelligit.

Eccius adulator plus Romanæ curiæ nocuit, q̄ potētissimus hostis potuisset facere.

Nihil ita p̄ hac disputatione promouētibus nobis, nisi maiorem confusionem Romanæ causæ, iam tertio Carolus Militius patres ordinis capitulo cōgregatos adit, consilium petit componendæ causæ, quæ iam disturbatissima & periculosissima esset: Mittuntur hinc ad me, cū uiribus in me (deo propitio) non sit spes grassandi, aliquot celebriores ex illis, qui petunt, ut saltem tuæ beatitudinis personam honorem, & literis humilitatis excusam innocentiam & tuam & meam, esse adhuc rem non in extremo desperationis loco, si Leo decimus pro sua in nata bonitate mansi adiuuaret. Hic ego, qui semper pacē & obtuli & optauī,

B ut pla-

EPISTOLA LV THER I

ut placidioribus & utilioribus studijs inseruirem, cum & in hoc ipsum tanto spiritu sim tumultuatus, ut eos, quos mihi longissime impares esse uidebam, magnitudine & impetu, tam uerborum, quam animi compescere, non modo libens cessi, sed & cum gaudio & gratitudine acceptaui, ut gratissimum beneficiū, si dignū fuerit spei nostræ satisfacere.

Renocare nihil oino uult.

Furum leges interpretandi uerbi dei non uult ferre.

Ita uenio beatissime pater, & adhuc prostratus rogo, si fieri potest, manum apponas, & adulatoribus istis, pacis hostibus dum pacem simulat, frenum injicias. Porro palinodiam, ut canā beatissime pater non est quod ullus presumat, nisi malit adhuc maiore turbine causam inuoluere: Dein de leges interpretandi uerbi dei non patior, cum oporteat uerbum dei esse non alligatum, quod libertatē docet omnium aliorum. His duobus saluis, nihil est quod non facere & pati possim, ac libentissime uelim. Contentiones odi, neminem prouocabo, sed prouocari rursus nolo, prouocatus autem, Christo magistro, elinguis non ero. Poterit enim T. B. breui & facili uerbo, contentionibus istis ad se uocatis & extinctis, silentium & pacē utrinque mādare, id quod semper audire desiderauit.

Monet Papā ne adulatoris audiat.

Nota. B.

Fidelis admonitio.
110.

Proinde, mi Leo pater, caue Syrenas istos audias, qui te non purum hominem, sed mixtum deum faciunt, ut quæuis mādare & exigere possis: Non fiet ita, nec proualebis, Seruus seruatorum es, & pro omnibus hominibus miserissimo & periculosissimo loco. Non te fallant, qui te dominū mundi fingunt, qui sine tua autoritate nullum Christianū esse sinunt, qui te in cælum, infernum, purgatorium posse aliquid garriunt. Hostes hi tui sunt & animam tuam ad perdendum quærunt, sicut Isaias dicit: Popule meus qui te beatum prædicat, ipsi te decipiunt: Errant qui te supra Concilium & uniuersalem Ecclesiam eleuant. Errant qui tibi soli scripturæ interpretandæ ius tribuunt: suas enim hi omnes

AD LEONEM ROM. EPISCOPVM.

oēs impietates sub tuo nomine statuere in Ecclesia quæ-
runt, & proh dolor, multum per eos Satan profecit in tuis
prædecessoribus. Summa, nullis crede, qui te exaltant, sed
ijs qui te humiliant: Hoc enim est iudicium dei. Deposuit
potentes de sede, & exaltauit humiles. Vide q̄; dispar sit
Christus suis successoribus, cum tamen omnes uelint eius
esse uicarij. Et metuo ne reuera plurimi eorum sint & ni-
miam serio uicarij eius. Vicarius enim, absentis principis
est: Q̄; si pontifex, absente Christo & non in habitante in
corde eius, præsit, quid aliud q̄; uicarius Christi est? At
quid tum illa Ecclesia, nisi multitudo sine Christo est?
Quid uero talis uicarius, nisi Antichristus & Idololum est?
Quanto rectius Apostoli, qui se seruos Christi appellant
præsentis, non uicarios absentis?

Nota. b.
Vicarius qui
sit.

Impudens forte sum, tantum uerticem uisus docere, a
quo doceri omnes oportet, & sicut factant pestilentiæ tuæ,
a quo iudicantium throni accipiunt sententiam, sed æmu-
lor sanctum Bernhardum in libello de Cōsideratione ad
Eugenium, omni pontifici memoriter noscendo. Neque
enim docendi studio, sed puræ fidelisq̄; sollicitudinis offi-
cio hoc facio, quæ cogit nos etiam omnia tuta uereri pro-
ximis nostris, nec patif rationem dignitatis aut indigni-
tatis haberi, solis periculis & commodis alienis intenta.
Cum enim sciam T. B. uersari & fluctuari Romæ, id est,
summo mari infinitis periculis undique urgente, & ea te
miseriæ conditione laborantem, ut etiam cuiusq̄; minimi
fratris minima ope indigeas, nō uideo mihi absurdus, si
interim maiestatis tuæ obliuiscar, dum officium charitat̄
impleuero, nolo adulari in re tã seria & periculosa, in qua
si amicus esse & plusq̄; subiectissimus tibi, non intelligat:
Est qui intelligat & iudicet.

B ij In fine,

EPISTOLA LVTHERI

In fine, ne uacuis aduenerim B. T. mecum affero tra-
ctatulum hunc sub tuo nomine aditum, uelut auspicio pa-
cis componendæ & bonæ spei, in quo gustare possis, qui-
bus nam studijs ego malim & possim fructuosius occupa-
ri, si per impios adulatōres tuos liceret, & hactenus licu-
isset, parua res est, si corpus species, sed summa (nisi fallor)
uitæ Christianæ compendio congesta, si sententi-
am captes. Neque habeo pauper aliud quo
gratificer, nec tu alio eges q̄ spiritua-
li dono augeri. Quo & me,
ipsum paternitati & bea-
titudini tue commē-
do. Quam dñs
Iesus seruet
imperpetuum.
Amen.

VVITTENBERGAE, SEXTA
SEPTEMBRIS. ANNO
M. D. XX.

M. 2. Doctor ad Leonem Decimusm. fol. 2
Facta est Romana Ecclesia. & quondam annis
Sacerdotum) Spiritibus latronum hanc in
Impunita omnia impudens. primum, Regnum
peccati, Morsus et Infectio, Ut ad Malitiam, quod
Accedat, Iam uigiliter non potest. A. 1517.

MAR. LVTHERI TRACTATVS
DE LIBERTATE
CHRISTIANA



FACILIS res multis est uisa, Chri-
stiana fides, quam & non pauci inter
uirtutes ceu socias numerant, quod
faciunt, quia nullo experimento eam
probauerunt, nec quantæ sit uirtutis
unquæ gustauerunt, cum fieri nõ possit,
ut bene de ea scribat, aut recte scripta
bene intelligat, qui non spiritũ eius
*Fides tribula-
tionibus deo
scitur.*

dem, urgentibus tribulationibus, aliquando gustarit. Qui
autem uel paululum gustauit, non potest unquæ satis de ea-
dem scribere, dicere, cogitare, audire, fons enim uiuus est
faliens in uitam æternam, ut Christus Ioan. iij. appellat.
Ego autem, quanquæ de abundantia non gloriar, sciamquæ quæ
sit mihi curta suppellex, spero tamen nonnullam guttam
fidei, magnis & uarijs agitatam tentationibus me cõsecu-
tum, posseque, si non elegantius, certe solidius de ea dicere,
quæ literales illi & subtiles nimio disputatores hactenus dis-
seruerunt, sua ipsorum non intelligentes. Quo autem fa-
ciliorem uiam rudibus (nam ijs solis seruiõ) aperiam, duo
hæc themata præmitto de libertate & seruitute spiritus.
Christianus homo, omnium dominus est liberrimus, nul-
li subiectus. *Themata.*

Christianus homo, omniũ seruus est officiosissimus, om-
nibus subiectus.

Hæc quanquæ pugnare uideantur, tamen ubi conuenire
inuenta fuerint, pulchre facient ad institutum nostrum.
Sunt enim ipsius Pauli utraq; dicentis. j. Cor. xij. Cum li-
ber essem, omniũ me seruũ feci, Rom. xij. Nemini quicquæ
B iij debeatis,

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

debeat, nisi ut inuicem diligatis, Amor uero natura sua officiosus est, & obsequens ei quod amatur, sic & Christus, quancūq; omnium dominus, factus tamen ex muliere, factus est sub lege, simul liber & seruus, simul in forma dei, & in forma serui.

Altiore & crassiore petamus ista principio. Homo enī duplici constat natura, spiritali & corporali: Iuxta spiritalē, quam dicūt animam, uocatur spiritalis, interior, nouus homo: Iuxta corporalem, quam carnem dicunt, uocatur carnalis, exterior, uetus homo, de quo Apostolus, ij. Cor. iij. Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen ijs qui intus est, renouat de die in diem. Hæc diuersitas facit, ut in scripturis, pugnantia de eodem homine dicantur, cum & ipsi duo homines in eodē homine sibi pugnent, dum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, Gal. v.

Primum autem, interiorem hominem apprehendimus, uisuri, qua nam ratione, iustus, liber, uereq; Christianus, hoc est, spiritalis, nouus, interior homo, fiat. Et constat, nullam prorsus rerum externarum, quocunq; censeantur nomine, aliquid haberi momenti ad iustitiam aut libertatē Christianā, sicut nec ad iniusticiā, aut seruitutē parandā, quod inductione facili persuadetur. Quid enim prodesse queat animæ, si corpus bene habeat, liberum & usua sit, edat, bibat, agatq; ut libuerit, cum ijs rebus floreat etiam impiissimi, omnium sceletum serui: Rursus, quid obfuerit animæ, mala ualetudo, aut captiuitas, aut fames, aut sitis, aut quoduis incōmodum externum, cum ijs rebus uexentur, etiam piissimi, puraq; consciētia liberissimi? Neutra harum rerum pertingit ad animæ, siue libertatē, siue seruitutem. Ita nihil profuerit, si corpus sacris uestibus, more sacrorum ornatur, aut locis sacris uersetur, aut officijs sacris occupetur,

Libertatis Christiana in quibus non consistat.

MARTINO LVTHERO AVTORE.

cupetur, aut oret, ieiunet, abstineat certis cibis, & faciat opus, quodcumq; per corpus & in corpore fieri pōt. Lōge alia re opus erit ad iusticiam & libertatē animæ, cū ea quæ dicta sunt, geri possint a quouis impio, nec ijs studijs alijs q̄ hypocritæ euadant. E diuerso, nihil oberit animæ, si corpus uestiatur prophanis, uersetur locis pphanis, edat, bibat communiter, non oret uoce, omittatq; omnia, quæ per hypocritas superius dicta fieri poterunt.

Et ut omnia rejiciamus, etiam speculationes, meditationes, & quicquid per animæ studia geri potest, nihil prodest. Vna re, eaq; sola, opus est ad uitam, iusticiam, & libertatem Christianam: Ea est, sacrosanctum uerbum dei, Euangelium Christi, sicut dicit Iohan. xj. Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, non morietur in æternum. Item, viij. Si filius uos liberauerit, ueri liberi eritis. Et Matthæi, iij. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit ab ore dei. Certū ergo habeamus ac firmiter positum: Animam posse omnibus rebus carere, excepto uerbo dei, sine quo nullis prorsus rebus est illi consultum. Habēs autem uerbum, diues est, nullius egens, cum sit uerbum uitæ, ueritatis, lucis, pacis, iusticiæ, salutis, gaudij, libertatis, sapientiæ, uirtutis, gratiæ, gloriæ, & omnis boni inastimabiliter. Hoc est, quod Propheta octonario toto, & multis alijs locis tot gemitibus & uocibus suspirat, & inuocat uerbum dei. Rursus, nec fæuor plaga iræ dei, dum mittit famem auditus uerbi sui, ut in Amos dicit, si plaga. cut nec maior est gratia, q̄ si emittat uerbum suum, ut psalmo, ciiij. Misit uerbum suum & sanauit eos, & eripuit eos de internitiōibus eorū. Neq; Christus ad aliud officium missus est, q̄ uerbi. Et Apostolicus Episcopalis uniuersusq; ordo clericorum, non nisi in uerbi ministerium uocatus & institutus est.

*Verbum dei
anima necessarium.*

*David in octo
uocibus.*

si plaga.

Quæres

EPISTOLA LUTHERI

verbum dei quod sit. Quæres autem: Quod nam est uerbum hoc, aut qua re utendum est eo, cum tam multa sint uerba dei? Respon- deo: Apostolus Ro. i. id explicat, scilicet Euangelium dei de filio suo incarnato, passio, resuscitato, & glorificato per spiritum sanctificatorem. Prædicasse enim Christum, hoc est, animã pauisse, iustificasse, liberaisse, & saluam fecisse, si crediderit prædicationi, Fides em̄ sola est salutaris & effi- cax usus uerbi dei, Ro. x. Si confitearis ore tuo, IESUM esse dominum, & corde tuo credideris, q̄ deus illū suscita- uit a mortuis, saluus eris. Et iterū, Finis legis Christus ad iusticiam omni credenti. Et Ro. i. iustus ex fide sua uiuet. Neq; enim uerbum dei, operibus ullis, sed sola fide suscipi & coli potest. Ideo clarum est, ut solo uerbo anima opus habet ad uitam & iusticiam, ita sola fide & nullis operib; iustificatur. Si enim alio quopiam iustificari possēt, uerbo non haberet opus, ac per hoc nec fide. Verum hæc fides subsistere prorsus non potest cum operibus, hoc est, si per opera (quæcunq; sint) simul iustificari præsumas, hoc enī esset in duas partes elaudicare, Baal adorare, & manum osculari, quæ est iniquitas maxima, ut Iob ait: Ideo dum credere incipis, simul discis, om̄ia quæ in te sunt, esse prorsus culpabilia, peccata, damnanda, iuxta illud Ro. ii. Om- nes peccauerunt & egent gloria dei. Et Ro. iii. Non est ius- tus, non est, qui faciat bonum, omnes declinauerunt, si- mul inuitiles facti sunt. Hoc enim cognito, scies Christum necessarium tibi, qui pro te passus & resuscitatus est, ut in eum credens, alius homo hac fide fieres, donatis omnibus peccatis tuis, & iustificato te alienis meritis, nempe Chri- sti solius.

gola fides ius- tificat.
credenda.
Nulla exte- no opere iust; re possit. Sicut dicit Ro. x. Corde creditur ad iusticiam; & ficatur homo, sola ipsa iustificet, manifestum est, hominem interiorem prorsus

MARTINO LVTHERO AVTORE.

proflus nullo externo opere uel negotio posse iustificari, liberum & saluum fieri, & opera quæcunq; ad eum nihil pertinere: sicut e contra, sola impietate & incredulitate cordis, reus fit & seruus peccati damnandus, nullo externo peccato uel opere. Quare cuiuslibet Christiani, prima cura esse debet, ut posita operum opinione, solam fidem magis ac magis roboret, & per eandem crescat, in cognitione, non operum, sed Christi IESU, pro se passi & resuscitati, (ut .j. Petrus ultimo docet) cum nullum aliud opus faciat Christianum. Sic Christus Ioh. vj. cum Iudæi interrogarent, quid facerent, ut operarentur opera dei, operum multitudine, qua illos uidebat turgere, repulsa, unum eis præscribit, dicens: Hoc est opus dei, ut credatis in eum, quem misit ille, hunc enim pater signauit deus.

Hinc recta in Christo fides, incomparabilis thesaurus est, *Fides thesaurus incomp. rabilis.* secum habens uniuersam salutem, & seruans ab omni malo, sicut Marci ultimo dicit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui non crediderit, condemnabitur. Quæ thesaurum Isaïas intutus prædixit, x. Verbum abbreviatum & consummatis faciet dominus super terram: Et consummato abbreviato inundabit iustitiam, quasi dicat: Fides, quæ est breuis & consummata plenitudo legis, tanta iustitia credentes replebit, ut nulla alia re ad iustitiam opus habeant. Sic & Paulus Roma. x. dicit: Corde enim creditur ad iustitiam.

Quæris autem, qua ratione fiat, ut sola fides iustificet, & sine operibus, tantorum bonorum thesaurum præbeat, cum tam multa opera, cerimoniarum, leges, in scripturis nobis præscripta sint. Respondeo. Ante omnia, memor esto eius, quod dictum est, solam fidem, sine operibus, iustificare, liberare & saluare, id quod clarius infra faciemus. Interim signandum, uniuersam scripturam dei, in duo partiri: Præcepta & *Scriptura habet præcepta & promissa.*

C

DE LIBERTATE CHRISTIANA

cepta & promissa. Præcepta docent quidem bona, sed nõ statim fiunt, quæ docta sunt, ostendunt enim, quid facere nos oporteat, sed uirtutem faciendi non donant, in hoc autem sunt ordinata ut hominem sibi ipsi ostendant, per quæ suam impotentiã ad bonum cognoscat, & de suis uiribus desperet. Qua causa, & uetus testamentũ uocatur & sunt. Exempli causa: Non concupisces, præceptum est, quo nos omnes esse peccatores conuincimur, cū nemo possit non concupiscere, quicquid cõtra molitus fuerit, ut ergo, non concupiscat & præceptum impleat, cogitur de sese desperare, & alibi ac per alium querere auxilium, quod in se non inuenit, sicut Osee dicit. Perditio tua Israel, tantum in me auxilium tuum. Quod autem hoc uno præcepto agitur, idem omnibus agitur, æque enim sunt impossibilia nobis omnia.

Oia præcepta nobis æque impossibilia.

Vbi uero per præcepta doctus fuerit impotentiã suam, & iam anxius factus, quo studio legi satisfaciat, cum legi satisfieri oporteat, ut ne iota quidem, aut apex prætereat, alioquin sine ulla spe damnabitur, tum uere humiliatus & in nihilum reductus coram oculis suis, non inuenit in seipso, quo iustificetur & saluus fiat. Hic altera scripturæ pars adest, Promissa dei, quæ annunciant gloriam dei, & dicunt: Si uis legẽ implere, non concupiscere, sicut lex exigit: En tibi, crede in Christum, in quo promittuntur tibi, gratia, iustitia, pax, libertas, & omnia, si credis habebis, si non credis carebis. Nam quod tibi impossibile est in uersis operibus legis, quæ multa sunt & tamen inutilia, facili compedio implebis per fidẽ: Quia deus pater, omnia in fide posuit, ut quisquis hæc habuerit, omnia habeat, qui non habuerit, nihil habeat: Concluserit enim omnia sub incredulitate, ut omnium misereatur, Ro. xj. Sic promissa dei hoc donant, quod præcepta exigunt, & implent, quod lex iubet,

Legi satisfacendum.

Oia per fidẽ implentur.

MARTINO LUTHERO AVTORE.

iubet, ut sint omnia solius dei, tam precepta & plenitudo eorum. Ipse solus precipit, solus quoque implet, ideo promissa dei pertinent ad nouum testamentum, immo sunt nouum testamentum. *Deus solus precipit & implet.*

Cum autem hæc promissa dei, sint uerba sancta, uera, iusta, libera, pacata & uniuersa bonitate plena, fit, ut anima, quæ firma fide illis adhaeret, sic eis uniat, immo penitus absorbeat, ut non modo participet, sed saturet & inxeribatur omni uirtute eorum. Si enim tactus Christi sanabat, quanto magis hic tenerrimus in spiritu, immo absorptio uerbi, omnia quæ uerbi sunt, animæ comunicat. Hoc igitur modo anima per fidem solam, sine operibus e uerbo dei iustificatur, sanctificatur, uerificatur, pacificatur, liberatur, & omni bono repletur, uereque filia dei efficitur, sicut Iohan. j. dicit: Dedit eis potestatem filios dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius. *Fidei prima uirtus.*

Ex ijs facile est intellectu. Vnde fides tantum possit, & cur ulla, nec omnia bona opera, eam possint requære: quia nullum opus adhaerere uerbo dei, nec in anima esse potest, sola autem fides & uerbum in ea regnant, quale est uerbum, talis ab eo fit anima, ceu ferrum ignitum, candet sicut ignis, propter unionem sui & ignis, ut clarum sit homini Christiano suam fidem sufficere pro omnibus, nec operibus ei opus fore, ut iustificetur, quæ si operibus non habet opus, nec lege opus habet, si lege non habet opus, certe liber est a lege, utrumque est: iusto non est lex posita. Atque hæc est Christiana illa libertas, fides nostra, quæ facit, non ut otiosi simus, aut male uiuamus, sed, ne cuius opus sit lege aut operibus ad iustitiam & salutem.

Hæc prima fidei uirtus esto. Alteram quoque uideamus. Altera fidei Fidei enim & hoc officium est, ut eum cui credit, omnium pijsissima & summa colat opinione, nempe quod cum ue-

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Summus honor. racem & dignum habeat, cui credendum sit. Neque enim alius est honor similis ueritatis & iustitiæ opinioni, qua honoramus eum cui credimus. Quid possumus tribuere ulli maius, quæ ueritatem & iustitiam & absolutam profus-

Summa contumelia. bonitatem? Ediuerso summa contumelia est, opinione mendacij & iniquitatis quemque celebrare aut suspectum habere quod facimus, dum non credimus ei. Sic anima dum firmiter credit promittenti deo, ueracem & iustum eum habet, qua opinione nihil potest deo præstantius tribuere: hic summus cultus dei est, dedisse ei ueritatem, & iustitiã, & quicquid tribui debet ei, cui creditur. Hic paratum sese præbet in omnes uoluntates eius, hic sanctificat nomen eius, & secum agi patitur, sicut placitum fuerit deo, quia promissis eius inhærens, non dubitat eum uerum, iustum, sapientem, omnia optime facturum, dispositurum, curaturum.

Obedientia perfecta. At nonne talis anima, hac fide sua, per omnia obedientissima deo est? Quod ergo præceptum est reliquum, quod talis obedientia non abunde impleuerit? Quæ plenitudo plenior quæ omnimoda obedientia? at hanc, non opera sed sola fides præstat.

Rebellio. Contra quæ rebellio? quæ impietas? quæ contumelia dei maior quæ non credere promittenti? Quid enim aliud est quæ deum aut mendacem facere, aut dubitare ueracem esse? hoc est, sibi ueritatem tribuere, deo autem mendacium & uanitatem: in qua re nonne deum negat & seipsum sibi idolum in corde erigit? Quid rogo, præ sunt opera in hac impietate facta, etiã si Angelica & Apostolica forent? Recte ergo deus, non in ira aut libidine, sed in incredulitate, omnia conclusit, ne qui castis & mansuetis operibus legis fingunt se implere legem (ut sūt politica & humana uirtutes) saluos se futuros præsumant, cum in peccato incredulitatis comprehensi, aut misericordiam quaerant, aut per iustitiam damnentur.

Vbi autem

MARTINO LVTHERO AVTORE.

Vbi autem deus uider, ueritatem sibi tribui, & fide cor
dis nostri se honorari tanto honore, quo ipse dignus est: *Honorat deus
credentes in
cum.*
Rursus & ipse nos honorat, tribuens & nobis ueritatem
& iustitiam, propter hanc fidem. Fides enim facit uerita-
tem & iustitiam, reddens deo suum, ideo rursus, reddit de-
us iustitiæ nostræ gloriam. Verum est enim & iustum, de-
um esse ueracem & iustum; & hoc est tribuere & confiteri,
hoc est esse ueracem & iustum. Sic. j. Reg. v. Quicumq;
honorificat me, glorificabo eum. Qui uero contemnunt
me erunt ignobiles. Sic Paulus Ro. iij. Abrahæ dicit su-
am fidem esse reputatam in iustitiam, quia per eam dedit
plenissime gloriam deo, & nobis eadem causa reputandâ
ad iustitiam, si crediderimus.

Tertia fidei gratia incomparabilis est hæc: q; animam *Tertia fidel
copulat cum Christo, sicut sponsam cum sponso. Quo sa/
gratia.*
copulat cum Christo, sicut sponsam cum sponso. Quo sa-
cramento (ut Apostolus docet) Christus & anima effici-
untur unacaro. Quod si una caro sunt, uerû inter eos ma- *Unio ad spõs
trimoniũ, immo omnium longe perfectissimum consue-
sum.*
trimoniũ, immo omnium longe perfectissimum consu-
matur (cum humana matrimonia huius unici, figuræ sint
tenues) Sequitur & omnia eorum communia fieri, tam bo-
na q; mala, ut quæcunq; Christus habet, de ijs tanq; suis,
præsumere & gloriari possit fidelis anima: Et quæcunq;
animæ sunt, ea sibi arroget Christus, tanq; sua. Coferamus *vide in este
illa & uidebimus inastimabilia; Christus plenus est, grati
a, uita, & salute: Anima plena est peccatis morte & dam-
natione: Intercedat iam fides, & fiet, ut Christi sint pecca-
ta, mors, & infernus: Animæ uero gr̃a, uita & salus: oportet enim eum si sponsus est, ea simul quæ sponsa habet ac-
ceptare, & ea quæ sua sunt, sponsæ impartire, qui enim
corpus suum & seipsum illi donat, quomodo non omnia
sua donat: Et qui corpus sponsæ accipit, quomodo non
omnia quæ sponsæ sunt accipit: Hic iam dulcissimum spe-
C. iij. Etaculum*

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Etaculum prodit nō solū cōmunionis, sed salutaris belli & uictoriae & salutis & redemptionis.

*Duellū amo-
ris in Christo.*

Cum enim Christus sit deus & homo, eaq; persona, quæ nec peccauit, nec moritur, nec damnatur, sed nec peccare, mori, damnari potest: Eiusq; iustitia, uita, salus in superabilis, æterna, omnipotēs sit. Cum inq; talis persona, peccata, mortem, infernum, sponse, propter annulum fidei, sibi communita, immo propria facit, nec in ijs aliter se habet, q̄ si sua essent, ipseq; peccasset, laborās, moriens, & ad infernum descendēs, ut omnia superaret, peccatumq; mors & infernus, eū absorbere non possent, necessario in ipso absorpta sunt, stupendo duello. Nam iustitia eius, omnium peccatis superior, uita eius, omni morte potentior, salus eius, omni inferno inuictior. Ita sit anima fidelis, per arrā fidei suæ in Christo sponso suo, omnibus peccatis libera, a morte secura, & ab inferno ruta, donata æterna iustitia, uita, salute, sponsi sui Christi. Sic exhibet sibi sponfam, sine macula & ruga, gloriosam, mundans eā lauacro in uerbo uitæ, id est, per fidē uerbi, uitæ, iustitiæ, & salutis. Sic sponfat eam sibi, in fide, in misericordia & miserationib⁹ in iustitia & iudicio, ut Osee. ij. dicit.

*Arra fidei in
spōsa Christi.*

*Regaliū nu-
ptiarum mi-
testas.*

Quis ergo has nuptias regales fatis æstimet? Quis diuitias gloriæ, gratiæ huius comprehendat? Vbi dītes & pius hic sponfus Christus ducit uxorem hanc pauperulam, impiam, metreticulam, redimens eam ab omnibus illius malis, & ornans omnibus suis bonis. Iam enim impossibile est, ut peccata sua eam perdant, cum super Christum posita sint & in ipso absorpta, habeatq; ipsa eam iusticiam in Christo sponso suo, de qua, ut sua propria præsumat, & aduersus omnia peccata sua, contra mortem & infernum, possit cum fiducia illā opponere, & dicere: Si ego peccaui, at Christus meus, non peccauit, in quem credo, cuius

MARTINO LVTHERO AVTORE.

cuius omnia, mea sunt, & omnia mea illius. Sicut in Canticis. Dilectus meus mihi, & ego illi. Hoc est, quod Paulus dicit. j. Cor. xv. Deo gratias, qui dedit nobis uictoriam per IESVM Christum dominum nostrum. Victoriã autem peccati & mortis, sicut illic inducit; Peccatũ stimulus mortis est, uirtus uero peccati lex.

Ex his iterum intelligis, qua causa tantum tribuat fidei, ^{Qua causa tantũ tribuat fidei.} ut sola impleat legem, & sine ullis operibus, iustificet. Vides enim primum præceptum, quod dicitur: Vnum deum coles, sola fide impleri. Si enim etiam ipse aliud non esses a planta pedis ad uerticem, quã bona opera, nõ tamẽ iustus esses, nec deum coleres, nec primum præceptũ impleres, cum deus coli non possit, nisi tribuatur ei ueritatis & uerba bonitatis gloria, sicut uere tribuenda est; hoc autem opera non faciunt, sed sola fides cordis: Non enim operando: sed credendo deum glorificamus & ueracem confitemur. Hoc nomine fides sola est iustitia Christiani hominis & omnium præceptorum plenitudo. Qui enim primũ implet, cetera omnia facili opera implet. Opera uero, cum sint res insensata, non possunt deum glorificare, quamuis ad gloriam dei (si fides assit) fieri possint. Verum nos hoc temporis quarimus, non ea quæ fiunt, qualia sunt opera, sed cum qui facit, qui glorificat & opera producit: Hæc est fides cordis, caput & substantia totius iustitiæ nostræ. Unde cæca & periculosa doctrina est, quæ per opera impleri præcepta docet, cum ante omnia opera oporteat præcepta esse impleta, & plenitudinem sequantur opera, sicuti au-

diemus. ^{Cultus dei uerus.}
 Ut autem hæc gratiam, quã in Christo habet interior ille homo noster, latius uideamus, sciendũ quod deus in ueteri testamẽto, sibi sanctificabat omne primogenitum masculinum, eratque primogenitura magni prætij, duplici honore præ ceteris ^{Fides facit opera.} ^{Primogenitura præceteris gratia.}

DE LIBERTATE CHRISTIANA,

præ cæteris pollens, sacerdotio & regno. Erat enim frater primogenitus, sacerdos & dominus omnium aliorum. Qua figura Christus prædemonstratus est, uere & unice primogenitus dei patris & uirginis Mariæ, uereq; rex & sacerdos, non secundum carnem & terram. Regnum enim eius non est de hoc mundo: In cælestibus & spiritualibus ipse regnat, & consecrat, quæ sunt, iustitia, ueritas, sapientia, pax, salus &c. Non quod non omnia etiam terrena & inferna subiecta sint ei (alioquin quomodo posset nos ab illis tueri & saluare).

Regnum Christi in quibus consistet.

Sacerdotium Christi.

sed quod non in his nec ex his regnum eius consistet. Ita nec sacerdotium eius consistit in uestiura gestuumq; pompa externa, quale fuit humanum illud Aaronis, & nostrum hodie Ecclesiasticum sacerdotium, sed in spiritualibus, per quæ in cælestibus inuisibili officio, pro nobis interpellat apud deum, ipsiq; se ipsum offert, & omnia facit, quæ sacerdotem facere oportet, sicut eum describit Paulus ad Hebræos ex figura Melchisedech. Nec solum pro nobis orat, & interpellat, sed & intus in spiritu nos docet uiuis doctrinis spiritus sui, quæ duo sunt propria officia sacerdotis, quæ in carnalibus sacerdotibus figurat, precibus & cõtionibus uisibilibus.

Sacerdotale officium.

Quo Christiani nos sacerdotes se intelligunt beat.

Christiani Chg.

Quemadmodum autem Christus primogenitura sua, has duas dignitates obtinuit, ita impartit & communes eadem facit cuilibet suo fideli, matrimonij prædicti iure, quo sponsæ sunt, quæcumq; sponsi sunt. Hinc omnes in Christo sumus sacerdotes & reges, quicumq; in Christum credimus. Sicut, j. Pet. ij. dicit: Vos genus electum, populus acquisitionis, sacerdotium regale, & regnum sacerdotale, ut uirtutes enarretis eius, qui uocauit uos de tenebris in admirabile lumen suum. Quæ duo sic se habent: Primum, quod ad regnum pertinet, quilibet Christianus, per fidem, sic magnificatur super omnia, ut spirituali potentia, prorsus omnium dominus sit, ita, ut nulla omnino rerum possit ei quicquam

MARTINO LVTHERO AVTOREI

quicquid nocere, immo omnia ei subiecta coguntur seruire ad salutem. Sic Paulus Roma. viij. dicit: Omnia cooperantur in bonum electis. Item, j. Corin. iij. Omnia uestra, siue mors, siue uita, siue instantia, siue futura, uos autem Christi. Non, q̄ corporali potentia, quisq̄ Christianorū super omnia constitutus sit, possidenda & tractanda, quo furore, passim Ecclesiastici quidam insaniunt, hoc enim, regū, principum & hominum est in terra, quando ipso uitæ usū uidemus, nos omnibus subijci, multa pati, atq̄ adeo. mori, immo quo Christianior quisq̄ est, hoc pluribus subiectus est malis, passionibus & mortibus, ut in ipso principe primogenito Christo & omnibus fratribus suis sanctis uidemus. Potentia hæc spiritualis est, quæ dominatur in medio inimicorum, & potens est in medijs pressuris, quod est aliud nihil, q̄ quod uirtus in infirmitate perficitur: & in omnibus possum lucrum facere salutis, adeo ut crux & mors cogantur mihi seruire & cooperari ad salutem. Hæc est enim ardua & insignis dignitas, ueracq̄ & omnipotens potestas, spirituale imperium, in quo nulla res tam bona, nulla tam mala, quæ non in bonum mihi cooperetur, si modo credidero. Nulla tamē mihi opus est (cum sola fides sufficiat ad salutem) nisi q̄ fides in ea uirtutem & imperium libertatis suæ exerceat. Ecce hæc est, Christianorū inæstimabilis potentia & libertas.

Nota.

Regnum spirituale.

Nec solum reges omnium liberrimi, sed sacerdotes quoque sumus in æternum, quod longe regno excellentius, per sacerdotium enim digni sumus corā deo apparere, pro alijs orare, & nos inuicem ea quæ dei sunt docere. Hæc enim sacerdotum officia sunt, quæ prorsus nulli incredulo concedi possunt. Ita Christus nobis obtinuit, si in eum credimus, ut sicut confratres, cohæredes, & correges, Ita & sacerdotes ei simus, audētes cum fiducia, per spiritum fidei

Sacerdotes sumus in æternum.

D coram

DE LIBERTATE CHRISTIANA,

coram deo prodire & clamare, Abba pater, & alter pro altero orare & omnia facere: quæ uidentur, uisibili & corporali officio sacerdotum geri & figurari. Qui uero non crediderit, huic nihil seruit, aut in bonum cooperatur, sed omnium ipse seruus est, & omnia ei cedunt in malum, quia omnibus impie utitur in sua commoda, non in dei gloriâ. Ita nec sacerdos est, sed prophanus, cuius oratio fit in peccatum, nec coram deo unquam apparet, quia deus peccatores non exaudit. Quis ergo comprehendere potest, altitudinẽ dignitatis Christianæ, quæ per regalem suam potentiam, omnium dominatur, mortis, uitæ, peccati &c. Per sacerdotalem uero gloriam apud deum omnia potest, quia deus facit, quæ ipse petit & optat, sicut scriptum est: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet illos. Ad hanc gloriam certe nullis operibus, sed sola fide, peruenit.

*Christianorũ
libertas.*

Ex his clare uidere potest quilibet, quo modo Christianus homo liber est ab omnibus & super omnia, ita ut nullis operibus ad hoc indigeat, ut iustus & saluus sit, sed sola fides hæc omnia largitur abunde. Quod si sic desperet, ut per ullum opus bonum præsumeret, iustus, liber, saluus, Christianus fieri, statim amitteret fidem cum omnibus bonis. Quæ stultitia pulchre figurata est in fabula illa, Vbi canis in aqua currens & carnem ueram in ore gestans, deceptus umbra carnis in aqua patentis, dum eandẽ aperto ritu petit, ueram carnẽ simul cum imagine perdit.

Hic quæres, si oēs qui in Ecclesia sunt, sacerdotes sunt, quo nomine discernuntur, quos nunc sacerdotes dicimus, a laicis? Respondeo. Vocabulis istis, sacerdos, clericus, spiritualis, Ecclesiasticus, iniuria facta est, dum a reliquis Christianis omnibus translata sunt ad paucos istos, qui nunc usu noxio, Ecclesiastici dicuntur. Scriptura enim sancta nihil

MARTINO LVTHERO AVTORE.

sancta nihil discernit inter eos, nisi quod ministros, seruos, oeconomicos appellat, qui nunc Papae, Episcopi, dominique instantur, qui ceteris seruiant, ministerio uerbi ad docendam fidem Christi & libertatem fidelium. Nam & si uerum est, nos omnes aequaliter sacerdotes esse, non tamen possumus, nec si possemus, debemus omnes publice seruire & docere. Sic Paulus. i. Corinth. iiii. Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi & dispensatores ministeriorum dei.

At dispensatio ista nunc in tantam pompam potestatis & terrificam quandam tyrannidem euasit, ut nec gentium, nec uis mundi imperia queant ei conferri, quasi laici, aliud quiddam quam Christiani sint, qua peruersitate factum est, ut penitus intercederit scientia Christianae gratiae, fidei, libertatis & totius Christi: Succedente in locum eius, humanorum operum & legum, intolerabili captiuitate, factique sumus iuxta lamentationes Hieremiae serui hominum utilissimorum, qui in terra sunt, qui nostra miseria abutuntur in omnes turpitudines & ignominias uoluntatis suae.

Redeundo ad id quod coepimus, puto per haec clarum fieri, Non esse satis nec Christianum, si Christi opera uitam & uerba praedicemus historico more, ceu res quasdam gestas, quas non esse satis sit ad uitam formandam exemplum, quo modo non, qui nunc optimi sunt, praedicant: Multominus si penitus taceatur & leges hominum decretaque patrum uice eius doceantur. Nam sunt non pauci, qui eo studio Christum praedicant & legunt, ut affectus humanos moueant ad condolendum Christo, ad indignandum Iudaeis, & id genus alia puerilia & muliebria deliramenta. Oportet autem, ut eo si ne praedicetur, quo fides in eum promoueatur, ut non tantum sit Christus, sed tibi & mihi sit Christus & id in nobis operetur, quod de eo dicitur, & quod ipse uocat. Haec autem fides nascitur, & seruatur ex hoc, si praedicetur, quare

*Ministerium
Ecclesiasticorum
quo per-
uaserit.*

*Christus quo
praedicatus.*

D ij Christus

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Christus uenerit, quid attulerit, & dederit, quo usui & fructu acceptandus sit. Hoc fit, ubi recte docetur Christiana libertas, quam ex ipso habemus, & qua ratione oēs Christiani, reges & sacerdotes simus, in quo omnium domini sumus, & quicquid egerimus corā deo placitum & acceptum esse cōfidimus, sicut hactenus dixi.

Fructus optimae praedicationis.

Cuius enim cor, haec audiens, non totis medullis gaudeat, & tanto solatio accepto non dulcescat in amore Christi: ad quem amorem, nullis unquē legibus aut operibus peruenire potest. Quis est, qui tali cordi nocere possit, aut ipsum pauefaciat: Si irruit cōscientia peccati, aut horror mortis, paratū est sperare in domino, nec timeri ab auditione ista mala, nec commouetur, donec despiciat inimicos suos. Credit enim iustitiam Christi, suam esse, & peccatum suum iam non suum, sed Christi esse: At a facie iustitiae Christi, omne peccatum absorbeat necesse est, propter fidem Christi, sicut superius dictum est, discitque, cum Apostolo, morti & peccato insultare & dicere: Vbi est mors uictoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, uirtus uero peccati, lex, Deo autē gratia, qui dedit nobis uictoriam per IESUM Christum dominum nostrum. Absorpta enim est mors uictoria non tantū Christi, sed & nostra, quia per fidem nostrā fit, & in ipsa & nos uincimus.

Questio eorum qui Lutherū animo quid si des, non intelligunt.

Haec dicta sint de interiore homine, de eius libertate & de principe iustitiae fidei, quae nec legibus, nec operibus bonis indiget, quin noxia ei sunt, si quis per ea praesumat iustificari. Nunc ad alteram partem reuertamur ad extremū hominem. Hic enim respondebit illis omnibus, qui uerbo fidei de ijs, quae dicta sunt, offensi, dicunt: Si fides omnia facit & sola ad iustitiam satis est, cur ergo praeccepta sunt bona opera? Ociabimur ergo & nihil operabimur, fide contenti,

tenti. Respondeo. Non sic impij non sic. Vere quidem sic haberet res ista, si penitus & perfecte, interni & spirituales essemus, quod nō fiet, nisi in nouissimo die resurrectionis mortuorū, donec in carne uiuimus, non nisi incipimus & proficimus, quod in futura uita perficietur, propter quod Apostolus Ro. viij, appellat primitias spūs, quod in hac uita habemus, accepturi scilicet decimas & plenitudinē spūs in futuro. Ad hanc partē pertinet, quod supra positum est: Christianum esse omnīū seruū & omnibus subiectū. Qua enim parte liber est, nihil operat, qua autē seruus est, omnia operat, quod qua ratione fiat, uideamus.

Quāq; homo (ut dixi) intus secundum spiritum per fidem abunde satis iustificetur, habēs quicquid habere debet, nisi q; hanc ipsam fidem & opulentiam oportet de die in diem augescere, usq; in futuram uitam, tamen manet in hac uita mortali super terram in qua necesse est, ut corpus suum proprium regat, & cum hominibus conuerset. Hic iam incipiunt opera, hic non est otia dum, hic certe curandum, ut corpus, ieiunijs, uigilijs, laboribus alijsq; disciplinis moderatis, exerceatur & spiritui subdat, ut homini interiori & fidei obediat & conformis sit, nec ei rebellet, aut ipsum impediat, sicut est ingenium eius, si coercitus nō fuerit. Interior enim homo conformis deo, & ad imaginem dei creatus per fidē, & gaudet & iucundatur, propter Christum, in quo tanta sibi collata sunt bona, unde & hoc solū negotij sibi habet, ut cum gaudio & gratis deo seruiat in libera charitate.

Vnde opera incipiunt.

Negotij unicuique hominis interioris.

Hoc dum agit, ecce in carne propria offendit uoluntatem contrariam, quæ mundo seruire & quærere quæ sua sunt, nititur. Id quod spiritus fidei ferre nō potest neq; ualet, & aggreditur, hilari studio ad opprimendā & coercendam eam, Sicut Paulus dicit Ro. vij, Condelector legi dei

D iij secundū

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

secundum interio rem hominem: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae & captiuantem me in legem peccati. Et alibi: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte alijs predicans ipse reprobus efficiar. Et Gal. v. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs suis.

Qua opinione
opera faciendū
da.

Verum ea opera oportet, non ea fieri opinione, quo per ipsa coram deo iustificet quisq̃, hanc enim falsam opinionem fides non feret, quae sola est iustitia coram deo, sed solum ea opinione, ut corpus in seruitutem redigat & purificetur a concupiscentijs suis malis, ita ut oculo non nisi uertat ad concupiscentias expurgandas. Cum enim anima per fidem purgata sit, & amans dei facta, uellet omnia pariter purgari, praecipue corpus propriū, ut omnia secum amaret & laudarent deum. Ita fit, ut homo exigente corporis sui causa oriri non possit, cogaturq; ob id, multa bona operari, ut in seruitutem redigat. Haec tamen opera ipsa, non id sunt, quo iustificet, coram deo, sed gratuito amore ea facit in obsequium dei, nihil aliud intutus q̃ diuinū beneplacitū, cui per omnia uellet obsequi officiosissime.

Qua ratione
corpus castigandum.

Hac ratione quisq; seipsum erudire facile potest, qua mensura aut discretionem (ut dicunt) corpus suum castigare debeat, tantum enim ieiunabit, uigilabit, laborabit, quantum satis esse uiderit, ad corporis lasciuiam & concupiscentiam praemendā. Qui uero praesumunt operibus iustificari, obseruant non mortificationem concupiscentiarū, sed ipsa tantum opera, arbitantes, si modo q̃ plurima & maxima fecerint, sese bene habere & iustos factos esse, aliquando & cerebrum laedentes & naturam extinguentes, aut saltem inutilem reddentes. Quae est ingens insipientia & ignorantia Christianae uitae & fidei, uelle sine fide per opera iustificari & saluari.

Vt autem

MARTINO LVTHERO AVTORE.

Vt autem ea quæ diximus facilius capiantur, similitudinibus ea monstremus. Debent opera hominis Christiani, per fidem suam ex mera gratuitaque misericordia dei iustificari & saluari, non alio loco haberi quæ opera fuissent Adæ & Eux in paradiso & omnium filiorum, si non peccassent, de quibus Gene. ij. sic dicitur: Posuit deus hominem, quem formauerat in paradysum, ut operaretur & custodiret illum. At Adam erat iustus & rectus a deo creatus, sineque peccato, ita, ut per suam operationem & custodiam, non opus habuisset iustificari & rectus fieri, sed ne otiosus iret, dedit ei dominus negotium, ut paradysum coleret & seruaret. Quæ fuissent opera vere liberrima nullius gratia facta, nisi beneplaciti diuini, non ad iustitiam obtinendam, quæ iam habebat plene, quæ & congenita fuisset nobis omnibus.

*similitudo
egregia.*

Ita & credentis hominis opera, qui per fidem suam de nouo repositus est in paradysum & de nouo recreatus, non eget operibus ut iustus fiat aut sit, sed ne otiosus sit, & corpus suum operetur & seruet, sunt ei opera eiusmodi libertatis, solum intuitu diuini beneplaciti, facienda: nisi, quod nondum plene recreatus sumus perfecta fide & charitate, quas augeri oportet, non tamen peccata, sed per seipsas. Aliud. Episcopus facit, templum consecrans, pueros confirmandus, aut aliud quippiam officij sui faciens, non consecratur his ipsis operibus in Episcopum, immo, nisi ante esset consecratus Episcopus, nullum istorum operum quicquam ualere, essentque stulta & puerilia & ludicra: Ita Christianus per fidem suam consecratus bona facit opera, sed non per hæc magis facit aut Christianus efficitur, hoc enim solius fidei est, immo, nisi ante crederet & Christianus esset, nihil prorsus ualere omnia sua opera, essentque uere impia & damnabilia peccata.

*Fides reponit
in paradysum*

Aliud simile.

Vera itaque

DE LIBERTATE CHRISTIANA

Duo uerba memoranda. Vera itaq; sunt hæc duo uerba: Bona opera non faciunt bonum uirum, sed bonus uir facit bona opera: Mala opera non faciunt malum uirum, sed malus uir facit mala opera. Ita, ut semper oporteat ipsam substantiam seu personam esse bonam ante omnia opera bona, & opera bona sequi & provenire ex bona persona. Sicut & Christus dicit: Mala arbor non facit bonos fructus, bona arbor non facit malos fructus. Clarum autem est, quod fructus non ferunt arborem, nec arbor crescit in fructibus: Sed ediuerso arbores ferunt fructus, & fructus crescunt in arboribus. Vt ergo necesse est, arbores esse priores fructibus suis, & fructus non faciunt arbores neque bonas neque malas, sed e contra arbores tales, faciunt tales fructus: Ita necesse est, primum personam ipsam hominis, esse bonam uel malam, antequam faciat bonum uel malum opus, & opera sua non faciunt eum malum aut bonum, sed ipse facit opera sua aut mala aut bona.

Aliud simile. Similia uideri licet in omnibus artificijs. Mala domus uel bona non facit malum aut bonum fabrum, sed bonus aut malus faber, facit malam aut bonam domum. Et in uniuersum, nullum opus facit artificem talem, quale est ipsum, sed artifex facit opus tale, qualis est ipse. Ita res se habet & in operibus hominum, qualis est ipse, siue in fide, siue in infidelitate, tale est & opus eius, bonum, si in fide, malum, si in infidelitate factum fuerit. Non autem id conuertitur, ut quale sit opus, talis fiat & homo in fide uel in infidelitate. Opera enim, ut non faciunt fidelem, ita nec iustum. At fides, ut facit fidelem & iustum, ita & bona opera. Cum ergo opera neminem iustificent, & hominem oporteat esse iustum, antequam operetur bonum, manifestissimum est solam fidem esse, quæ ex mera dei misericordia per Christum in uerbo eius, personam digne & sufficienter iustificet & saluet, & nullo opere, nulla lege Christiano homini opus esse ad

MARTINO LVTHERO AVTORE.

esse ad salutem, cum per fidem liber sit ab omni lege, & ex mera liberalitate omnia gratuito faciat, quæcunq; facit, nihil quærens aut commodi aut salutis (cum iam fatur & saluus sit gratia dei ex fide sua) sed solū beneplacitū dei.

Sic & infideli nullum opus bonum prodest ad iustitiam & salutem. Edituerso, nullum malum opus facit cum malū aut damnatum, sed incredulitas, quæ personam & arbore malam facit, mala & damnata facit opera. Vnde dum bonus aut malus quisq; efficitur, non hoc ab operibus, sed a fide uel incredulitate orditur. Sicut Sapiens dicit: Initium peccati, apostotare a deo, & id est non credere. Et Paulus Heb. xi. Oportet accedentem credere. Et Christus idem dicens: Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos, aut facite arborem malam, & fructus eius malos, ac si dicat: Qui uolet fructus bonos habere, ab arbore incipiet & hanc bonam plantabit: Ita qui uult bona operari non ab operando, sed a credendo incipiat, quod personam bonā facit: Non enim personam bonam facit, nisi fides, nec malam, nisi incredulitas.

*Infidelis non
fit malus ex
operibus.*

Hoc sane uerum est, operibus fieri hominem bonum aut malum coram hominibus, hoc autē fieri, est idē quod ostendi & cognosci quis sit bonus aut malus, ut Christus Math. vii. dicit: Ex fructibus eorum, cognoscetis eos. At hoc totum in specie & extra manet: qua in re, plurimi falluntur, qui scribere & docere præsumunt bona opera, quibus iustificentur, interim fidei ne memorentur quidē, euntes in uis suis, falsi & fallētes semper, proficiētes in peius, cæci cæcorum duces, multis sese operibus fatigantes, & tamen nunq; ad ueram iustitiam peruenientes, De quibus Paulus, i. Timo. ii. dicit: Habentes quidem speciem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes, semper discentes, & nunq; ad scientiam ueritatis peruenientes.

*Opera hoīem
bonū faciunt,
sed coram ho
minibus.*

*Fons erroris
quorūdam.*

E Qui ergo

DE LIBERTATE CHRISTIANA,

Qui ergo cum istis cæcis non uoluerit errare, oportet ut ulterius prospiciat q̄ in operi, leges, aut doctrinas operū, immo auerso ab operibus intutu, personam inspiciet, & qua ratione illa iustificetur; quæ non operibus neq; legibus, sed uerbo dei (id est, promissione gratiæ suæ) & fide, iustificatur & saluatur, ut sit gloria maiestatis diuinæ, quæ nos non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam per uerbum gratiæ suæ saluos fecit credentes.

Regule intelligentiæ doctrinarū multorum.

Facile ex his cognitu est, qua ratione sint opera bona reijcienda aut amplectenda, & quaregula intelligenda sint omnium doctrinæ de operibus datæ. Si enim opera comparentur ad iustitiā, & peruerso leuiathan, eaq; falsa persuasione fiant, ut per ipsa iustificari præsumas, iam necessitatem imponūt, & libertatem cum fide extinguunt, & hoc ipso additamento bona iam non sunt, uereq; damnabilia: Libera enim non sunt, & gratiam dei blasphemant, cuius solius est per fidem iustificare & saluare, quod opera non potentia præstare, impiatamen præsumptione, per nostrā hanc stultitiā affectant, ac sic in officium gratiæ & gloriæ eius uiolenter irruūt. Non ergo opera bona reijcimus, immo maxime amplectimur & docemus, non enim propter ipsa, sed propter impium hoc additamentum, & peruersam opinionem quærendæ iustitiæ, ea damnamus, qua fit, ut solum in specie appareāt bona, cum reuera bona nō sint, quibus falluntur & fallunt, ceu lupi rapaces, sub uestimentis ouium.

Opus leuiathan.

Hic autem leuiathan & peruersa opinio in operibus insuperabilis est, ubi deest sincera fides, abesse enim nō potest a sanctis illis operarijs, donec fides uastatrix eius ueniat & regnet in corde: Natura per seipsam non potest eam expellere, immo ne cognoscere quidem, quin eam ducit loco san-

MARTINO LVTHERO AVTORE.

loco sanctissimæ uoluntatis, ubi si consuetudo accesserit, & hanc naturæ prauitatem roborauerit (sicuti factum est, per impios magistros) incurabile malum est, & infinitos irreuerabiliter seducit ac perdit. Quare & si bonum est, de pœnitentiâ, confessione, satisfactione prædicare & scribere, si tamen hic sistatur, & non ad fidem usq; docendam procedat, sine dubio deceptorix & diabolicæ sunt doctrinæ. Sic enim Christus, cum suo Ioanne, nõ solũ dixit, pœnitentiã agite, sed addidit uerbum fidei, dicens: Appropinquant regnum cœlorum.

Nõ enim alterum tantum, sed utrunq; uerbum dei prædicandum est, noua & uetera proferenda de thesauro, tam uox legis, q̃ uerbum gratiæ. Vocem legis proferri oportet, ut terreatur & in suorum peccatorum notitiã reducantur, & inde ad pœnitentiã & meliorem uitæ rationem cõuertantur: Sed hic non sistendum, hoc enim esset solũ uulnerare & non alligare, percutere & nõ sanare, occidere & non uiuificare, deducere ad inferos & nõ reducere, humiliare & nõ exaltare: Ideo & uerbum gratiæ & promissæ remissionis, ad docendam & erigendam fidem, prædicari debet, sine quo, lex, contritio, pœnitentiã, & omnia alia frustra fiunt & docentur.

Fides erigenda in prædicationibus.

Superfunt quidem adhuc prædicatores pœnitentiæ & gratiæ, sed non explicant dei legem & promissionem eo sine & spiritu, ut disci queat unde pœnitentiã & gratiã ueniant. Pœnitentiã enim ex lege dei, sed fides seu gratiã ex promissione dei prouenit, sicut dicit Ro. x. Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Christi, quo fit, ut homo per fidem diuinæ promissionis consoletur & exaltetur, qui per minas & timorẽ legis diuinæ, humiliatus & in sui cognitionem perductus est. Sic psal. xxix. Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitiã.

Vnde uel pœnitentiã uel fidem.

E ij Hæc dicta

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

De operibus ad proximum. Hac dicta sint de operibus in genere, & simul de ijs, quæ Christianus in proprium corpus exercet. Ultimo & de his dicemus, quæ erga proximum suum operatur. Non enim homo sibi uiuit solum in corpore isto mortali ad operandum in eo, sed & omnibus hominibus in terra, immo solū alijs uiuit & non sibi. In hoc enim corpus suum subiectum facit, quo sincerius & liberius queat alijs seruire, sicut Paulus Rom. xiiij. dicit: Nemo sibi uiuit & nemo sibi moritur: Qui enim uiuit, domino uiuit, & qui moritur, domino moritur. Ideo non potest fieri ut sit otiosus in hac uita & absq; opere, erga proximos suos: Necesse est enim, ut loquatur, agat, & conuersetur cum hominibus. Sicut Christus in similitudinem factus habitu inuentus est ut homo, & cōuertatus cum hominibus, ut Baruch, iij. dicit.

Seruiendum omnibus. Nullo tamen horum opus ei est ad iustitiam & salutem. Ideo in omnibus operibus suis, ea debet opinione esse formatus & huc solū spectare, ut alijs seruiat & profit in omnibus quæcunq; fecerit, nihil ante oculos habens, nisi necessitatem & commoditatem proximi. Sic enim Apostolus iubet, ut manibus laboremus, quo demus necessitatem habenti, cū potuisset dicere, quo nos ipsos alamus, sed det

Corporis cura quare habenda. (inquit) necessitatem habenti. Nam & in hoc ipsum, corporis curam habere Christianum est, quo, per eius salutē & comoditatē laborare, res querere, & seruire possimus, in subsidium eorum, qui indigent, ut sic membrum robustum seruiat membro infirmo, & simus filij dei, alter pro altero sollicitus & laboriosus, inuicem onera portātes, & sic legem Christi implentes. Ecce hæc est uere Christiana uita, hæc uere fides efficax est per dilectionē, hoc est, cū gaudio & dilectione prodit in opus seruitutis liberrimæ, qua alteri gratis & sponte seruit, ipsa abunde satur fidei suæ plenitudine & opulentia,

Sic Phi/

MARTINO LVTHERO AVTORE

Sic Philippē cum Paulus docuisset, quod diuites facti essent per fidem Christi, in qua omnia obtinuisent, docet eos deinceps, dicens: Si qua consolatio Christi, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, & eandem charitatē habētes unanimēs id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque inanem gloriam, sed in humilitate superiores inuicem arbitantes, non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hic clare uidemus, uitam Christianorum ab Apostolo in hanc regulam esse positam, ut omnia opera nostra ad aliorum cōmoditatem ordinentur, cum perfidē quisque suam sic abundet, ut omnia alia opera totaque uita ei superfluant, quibus proximo spontanea beneuolentia seruiat & beneficiat.

Ad hoc inducit Christum pro exemplo, dicēs: Hoc sentite in uobis, quod & in Christo IESU, qui cum in forma dei esset non rapinam arbitratus est, esse se æqualem deo, sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inuentus ut homo, factus est obediens usque ad mortem. Hoc enim uerbum Apostoli saluberrimum nobis obscurarunt illi, qui uocabula Apostolica, formam dei, formam serui, habitum, similitudinem hominum, prorsus non intellexerunt, & ad naturas diuinitatis & humanitatis transtulerunt: ut cum Paulus id uelit: Christum cum esset plenus forma dei, & omnibus bonis abundās, ita, ut nullo opere, nulla passione indigeret, ut iustus & saluus fieret, habebat enim hæc omnia statim ab initio sui, non tamen ihs inflabatur, nec super nos eleuabatur, & quandam potentiam super nos sibi arrogabat, licet id iure potuisset: Sed cōtra, sic egit laborans, operans, patiens, moriens, ut similis esset cæteris hominibus, & habitu & gestu non aliud quàm homo, quasi ihs omnibus

Deprauationes Apostolicæ doctrine.

DE LIBERTATE CHRISTIANA,

egetet & nihil haberet formarum dei, quod tamen totum propter nos fecit, ut nobis seruiret, & nostra fierent omnia, quæ hac forma serui operaretur.

*Christianus
se Christo cõ
formet.*

Ita Christianus, quemadmodum caput suum Christus, per fidem suam plenus & satur, contentus esse debet hac forma dei per fidem obtenta (nisi quod, ut dixi, ipsam hæc fidem augere debet, donec perficiatur) hæc enim uita, iustitia, & salus eius est, personam ipsam seruans, & gratiam faciens, omniaq; tribuens, quæ Christus habet, ut supra dictum est, Et Paulus Gal. confirmat, dicens: Quod autem in carne uiuo, in fide filij dei uiuo. Et quantum sic liber est ab omnibus operibus, debet tamen rursus se exinanire in hac libertate, formam serui accipere, in similitudine hominum fieri, & habitu inueniri ut homo, & seruire, adiuuare, & omni modo cum proximo suo agere, sicut uidet secum actum & agi a deo per Christum, & hoc ipsum gratis, nulloq; respectu, nisi diuini placiti, & ita cogitare.

*Fiducia Chris
tiana.*

En mihi indigno damnatoq; hominum, citra omne meritum, mera, gratuitaq; misericordia, dedit deus meus in Christo oēs diuitias iustitiæ & salutis, ut amplius nulla re prorsus indigeam, nisi fide, quæ credat hoc se sic habere, huic ergo tali patri, qui me suis his inestimabilibus diuitijs obruit, cur non liberaliter, hilariter, toto corde spontaneoq; studio, omnia faciam, quæcunq; sciero placita & grata coram illo esse? Dabo itaque me quendam Christum proximo meo, quemadmodum Christus sese præbuit mihi, nihil facturus in hac uita, nisi quod uidero proximo meo necessarium, commodum & salutare fore, quando quidem per fidem, omnium bonorum in Christo abundans sum.

Fidei fructus.

Ecce sic fluit ex fide, charitas & gaudium in domino, & ex cha,

MARTINO LVTHERO AVTORE.

& ex charitate, hilares, libēs, liber animus, ad sponte serui- *vide mitem*
endum proximo, ita ut nullam habeat rationem gratitu- *tor quā di-*
dinis, ingratitude, laudis ac vituperij, lucri aut damni: *gne dānatus*
Neq; enim agit hoc, ut homines sibi demereatur, nec inter *Lutherus.*
amicos inimicosq; discernit, nec gratos, nec ingratos suspi-
cit, sed liberrime libentissimeq; dispergit se & sua, siue ea
perdat in ingratos, siue mereatur: Sic enim & pater eius fa-
cit, omnibus omnia distribuens abundanter & liberrime
faciens solem suum oriri super bonos & malos: Ita filius ni-
hil nisi gratuito gaudio, quo in deo per Christum delecta-
tur, tantarū rerum largitore, facit & patitur.

Vides ergo, si cognoscimus ea, quæ nobis data sunt ma- *Cognoscendū*
xima & preciosa (ut Petrus ait) mox per spiritum diffundi *quam magna*
in cordibus nostris charitatem, qua liberi, hilares, omni- *donata nobis*
tentes, operatores, & omnium tribulationū victores, pro-
ximorum serui, nihilominus tamen omnium domini sum-
mus. Qui uero non cognoscunt donata sibi per Christum
ijs Christus frustra natus est, per opera illi incedūt, ad ista-
rum rerum gustum & sensum nunq; peruenturi. Igitur si-
cut proximus noster necessitatem habet, & nostra abundā-
tia indiget, ita & nos coram deo necessitatem habuimus,
& misericordia eius indiguimus, ideo sicut pater cælestis
nobis in Christo gratis auxiliatus est, ita & nos debe-
mus gratis per corpus & opera eius, proximo nostro au-
xiliari, & unusquisq; alteri Christus quidam fieri, ut simus
mutuum Christi, & Christus idem in omnibus, hoc est, ue-
re Christiani.

Quis ergo cōprehendere queat, diuitias & gloriā Chri- *Glorie uite*
stianæ uitæ, quæ omnia potest & habet, & nullius indiget, *Christiana.*
peccati, mortis, inferni, domina, simul tamē om̄ibus serua
& obsequiosa, & utilis? Sed quæ prohdolor hodie in toto
orbe ignora

DE LIBERTATE CHRISTIANA,

orbe ignota est, nec predicatur nec quaeritur, adeo ut proprius nostrum nomen ipsimet ignoremus, cur Christiani simus & uocemur: certe a Christo sic uocamur, non absente, sed inhabitate in nobis, id est, dum credimus in eum & inuicem mutuocum sumus alter alterius Christus, facientes proximis, sicut Christus nobis facit. At nunc hominum doctrinis, non nisi merita, proxima, & ea quae nostra sunt docemur quaerere, & ex Christo non nisi exactorem longe praemose saeuere fecimus.

Christiani quare nominemur.
Diuæ dei genitrix exemplar fidei.
Eiusdem fidei exemplum praeter ceteris, praebuit & beata uirgo, dum (ut Luca. ij. scribitur) purificabatur secundum legem Moysi, more omnium mulierum, cum tamen lege talis non teneretur, nec purificari opus illi fuit, subiecit se tamen sponte & libera charitate legi, similis facta ceteris mulieribus, ne offenderet, aut contemneret eas. Non ergo iustificata fuit hoc opere, sed iusta fecit hoc gratuito & libere: ita & nostra opera fieri debent, non iustificandi gratia, cum prius fide iustificati facere debeamus omnia libere & hilariter propter alios.

Paulus docet opera.
Et sanctus Paulus discipulum suum Timotheum circumcidebat, non quod opus esset illi ad iustitiam circumcisione, sed ne offenderet aut contemneret infirmos in fide iudaeos, qui necdum poterant capere fidei libertatem. At contra, ubi contempta libertate fidei, urgebant circumcisionem esse necessariam ad iustitiam, restitit & Titum circumcidi non permisit, Gallath. ij. Sicut enim nullius infirmitatem in fide offendere aut contemnere uoluit cedens eorum uoluntati ad tempus, ita rursus noluit offendi aut contemni libertatem fidei ab induratis iustitiarum, incedens media uia, parcens infirmis ad tempus & resistens induratis semper, ut omnes ad fidei libertatem conuerteret. Eodem studio & nostra fieri debent, ut infirmos
in fide

MARTINO LVTHERO AVTORE.

in fide suscipiamus (ut Ro. xiiij. docet) Sed magistris operum induratis, fortiter resistamus. De quo latius inferius dicemus.

Christus etiam, Matthæi, xvij. ubi a discipulis suis petebatur didrachmum, disputabat cum sancto Petro, an ne filij regis liberi essent a censibus, & Petrus hoc affirmasset, fuisse tamen, ut iret ad mare, dicens: Ne scâdalizemus eos, uade & piscem, qui primo ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies statherem, quem tollens, da pro me & pro te. Hoc exemplum pulchre ualet ad propositum: In quo Christus se & suos appellat liberos & filios regis, qui nullius egeant, & tamen sponte se submittit & soluit centum. Quantum ergo hoc opus Christo necessarium, aut utile fuit ad iustitiam & salutem, tantum ualent omnia alia sua, & suorum opera ad iustitiam, cum sint omnia iustitia posteriora, & libera, tantum ad aliorum obsequium & exemplum facta.

Christi domini exemplū.

Talia sunt, quæ & Paulus Ro. xiiij. & Timoth. iij. præcepit, ut potestatibus subditi sint, & ad omne opus bonum parati, non ut per hoc iustificentur, cum iam iusti sint ex fide, sed ut in libertate spiritus, per hæc alijs & potestatibus seruirent, & eorum uoluntati gratuita charitate obsequerentur. Talia oportuit esse & omnium collegiorum, monasteriorum, sacerdotumq; opera, ut quisque suæ professionis & status opera solum in hoc faceret, ut per hæc nō iustitiam, sed corporis sui subiectionem exerceret, alijs in exemplum, qui & ipsi opus habent corporis sui castigatione: Deinde ut alijs duntaxat obsequerentur ad eorum uoluntatem, gratuita charitate: hoc tamen semper & summa cura obseruato, ne uana fiducia præsumat per ipsa, quisquam iustificari, mereri, aut saluus fieri, quod solius fidei est, ut sæpius dixi.

Capite religioſi oēs Lutherum, & sinte doctiore ueſtrum eſſe.

F Si quis

DE LIBERTATE CHRISTIANA

*Scientia Christi
iani ueri.*

Si quis ergo hanc scientiam haberet, facile se posset gerere citra periculum, in infinitis illis mādatis & p̄ceptis Papæ, Episcoporum, Monasteriorum, Ecclesiarum, principum & magistratuum, quæ aliqui stulti pastores, sic urgent, quasi ad iustitiam & salutem sint necessaria, appellant p̄cepta Ecclesiæ, cum sint nihil minus, Christianus enim liber, sic dicit: Ego ieiunabo, orabo, hoc & hoc faciam, quod per homines mandatum est, non quod mihi illo sit opus ad iustitiam aut salutem, sed quod in hoc morem geram, Papæ, Episcopo, communitati illi, & illi magistratui, aut proximo meo ad exemplum, faciam & patiar omnia. Sicut Christus mihi multo plura fecit & passus est, quorum ipse nullo prorsus egebat, factus propter me sub lege, cum non esset sub lege. Et quamuis tyranni uim aut iniuriam faciant, hoc exigentes, non tamen nocent, donec contra deum non fuerint.

*Pastorum bonorum
discrimine a malis.*

Ex ijs omnibus quisq; poterit certum iudicium & fidele discrimen omnium operum & legum accipere, & scire, qui sint cæci, stulti, & qui ueri & boni pastores. Nā quodcunque opus non huc solum dirigitur, ut fiat uel ad castigandum corpus, uel ad obsequium proximi (ubi contra deum nihil postulet) non est bonum nec Christianum. Et hinc ego uehementer metuo, pauca uel nulla collegia, monasteria, altaria, officia Ecclesiastica, esse Christiana hodie, nec non & ieiunia & preclusas peculiarias, de certis sanctis: Metuo inquam, in his omnibus quæri, non nisi ea quæ nostra sunt, dum arbitramur, per hæc purgari peccata nostra, salutem inueniri; & sic funditus extinguatur libertas Christiana, quod ex ignorantia fidei Christianæ & liberrimæ, uenit.

Quam ignorantiam & libertatis oppressionem, plurimi cecissis

MARTINO LVTHERO AVTORE.

mi excelsissimiq; pastores sedulo confirmant, dum populos in ea studia sollicitant & urgent, laudādo ea, & suis indulgentijs in stando, fidem autem nunquam docēdo. Ego autem tibi consultum uolo, si quippiam uoles orare, ieiunare, aut in Ecclesijs fundare (ut uocant) caue facias, eo fine, quo tibi aliquid commodi, siue temporalis, siue æterni pareres; Inuiriā enim fidei tuæ facies, quæ sola tibi omnia præbet, ideo sola curanda, ut augeatur, siue operibus, siue passionibus exercita: sed da, quod das, libere & gratis, ut alij ex te tuaq; bonitate augeant, & bene habeant. Sic enim eris uere bonus & Christianus. Quid enim tibi bona & opera tua, quæ ad corporis castigationem superabundant, cum abundes pro te per fidem tuam, in qua tibi omnia donauit deus?

Consilium.

Fides sola curanda.

En ista regula oportet, ut quæ ex deo habemus, bona fluant ex uno in alium, & communia fiant, ut unusquisq; proximum suum induat, & erga eum sic se gerat, ac si ipse esset in loco illius. E Christo fluxerunt & fluunt in nos, qui nos sic induit & pro nobis egit, ac si ipse esset, quod nos sumus. E nobis fluunt in eos, qui eis opus habent, adeo, ut & fidem & iustitiam meam oporteat coram deo poni, pro regendis & deprecandis proximi peccatis, quæ super me accipiam, & ita in eis laborē & seruiam, ac si mea propria essent, sic enim Christus nobis fecit. Hæc est enim uera charitas, sinceraq; Christianæ uitæ regula. Ibi autem uera & sincera est, ubi uera & sincera fides est. Hinc Apostolus. j. Corinth. xij. Charitati tribuit, q̄ non quaerit quæ sua sunt.

Regula ad fraternā charitatem.

Concludimus itaque, Christianum hominem non uiuere in seipso, sed in Christo & proximo suo, aut Christianum esse in Christo per fidem, in proximo per charitatem.

Christianus uiuit in Christo & proximo.

F. ij. tatem,

DE LIBERTATE CHRISTIANA,

tatem: per fidem sursum rapitur supra se in deum, rursus per charitatem labit infra se in proximum, manens tamen semper in deo, & charitate eius. Sicut Christus Ioan. ij. dicit: Amē dico uobis, deinceps uidebitis coelum apertū & Angelos dei ascendētes & descēdentes super filiū hominis. Et hæc de libertate satis, quæ ut uidēs, spiritualis ueraciter est, libera faciens corda nostra ab omnibus peccatis, legibus & mādatis (Sicut dicit Paulus, j. Timo.), Lex iusto nō est posita) quæ superat oēs alias libertates externas, quantum coelum superat terram: quā nos Christus faciat & intelligere & seruire. A M E N.

Contra libertatem carnis.

IN FINE, propter eos quibus nihil tā benedicē, quod non deprauent male intelligēdo, addendū est, si tamen & id ipsum intelligere possint. Sunt q̄ plurimi, qui hāc libertatē fidei audiētes, mox eā in occasionē carnis uertunt, omnia sibi statim licere arbitrātes, nec alia re ulla liberi & Christiani uideri uolētes, q̄ cōtemptu & reprehensione ceremoniarū, traditionū, legū humanarū: quasi ideo Christiani sint, quia statis diebus nō ieiunāt, aut alijs ieiunātibz ipsi carnes comedūt, aut preculas usitatas omittūt, suspēso naso, præcepta hominū illudētes: Cetera uero ad Christianam religionē pertinentia prorsus posthabentes. Quibus pertinacissime resistunt ex altera parte, ij, qui sola obseruātia & reuerētia ceremoniarū nituntur salui fieri, quasi ideo salui sint, quia statis diebus ieiunant aut a carnibus abstinent aut ceitas preces orant, iactantes præcepta Ecclesie & patrum, nec ipsi pili faciētes, ea quæ synaxæ sunt fidei nostræ. Vtrique culpabiles plane, quod rebus neglectis grauioribus & ad salutē necessarijs, super rebus ijs leuiculis & nō necessarijs tanto tumultu conficiantur.

Contra fidentiam operum.

Quanto

MARTINO LVTHERO AVCTORE.

Quanto rectius Paulus Apostolus, media uia incede-
re docet, & utrunque latus damnat, dicens: Qui manduca-
cat, manducantem non spernat; Et qui non manducat, man-
ducantem non iudicet. Vides hic, qd nō, qui ceremonias non
pietate, sed mero contemptu omittunt & uituperāt, repre-
hendantur, cum Apostolus doceat nō contemnere, scien-
tia enim eos inflat. Rursum pertinaces alteros docet, ut nō
iudicent illos: Neutri enim charitatem edificantem inui-
cem custodiunt. Quare hic audienda est scriptura, quæ do-
cet, ut nec ad dextram nec ad sinistram declinemus, sed se-
quamur iustitias domini rectas latificantes corda, ut enim
non iustus est quisq̄, quia operibus & ritibus cerimoniarum
seruit & addictus est, ita nec iustus ex eo censerebit so-
lo, quod illa omittit & contemnit.

Non enim liberi sumus per fidem Christi ab operibus,
sed ab opinionibus operum, id est, a stulta præsumptione
iustificationis per opera quæ sita. Fides enim conscientias
nostras redimit, rectificat, & seruat, qua cognoscimus
iustitiam esse non in operibus, licet opera abesse neq̄ pos-
sint, neque debeant. Sicut sine cibo & potu & uniuersa
corporis istius mortalis opera esse non possumus, non ta-
men in eis iustitia nostra sita est, sed in fide, nec tamen il-
la ob id contemnenda sunt aut omittenda. Sic in mundo
sumus necessitate uitæ huius corporis coacti, sed non ex
hoc iusti sumus. Regnum meum non est hinc, seu de hoc
mundo, ait Christus, sed non dixit, Regnū meum non est
hic, seu in hoc mundo. Et Paulus; Licet in carne ambule-
mus, non tamē secundū carnē militamus. Et Gal. j. Quod
uiuo in carne, in fide uiuio filij dei. Sic, quod facimus, uiui-
mus, sumus in operibus & cerimonijs, necessitas huius ui-
tæ facit, & corporis regendī cura, nō tamen in his iusti sumus, sed

F iij mus, sed

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

mus, sed in fide filij dei. Quare Christiano per mediū eundem est, & duo illa genera hominum sibi proponēda: aut enim occurrunt ei pertinaces, obdurati ceremonijstæ, qui sicut aspides surdæ nolunt audire ueritatem libertatis, sed suas ceremonias, tanq̃ iustificaciones iactant, imperant & urgēt sine fide: quales erāt olim Iudæi, nolētes intelligere *Quomodo cū ut bene agerent: his oportet resistere, cōtraria facere, & fortiter scandalizare, ne opinione ista impia, plurimos secum*
agendum. fallant, in horū oculis expedit comedere carnes, soluere ieiunia & alia pro libertate fidei facere, quæ pro summis peccatis habent, dicendumq̃ de eis: Sinite eos, cæci sunt & cæcorum duces, hoc enim modo & Paulus Titū noluit circumcidi, cum illi urgerent. Et Christus defendit Apostolos, q̃ sabbato uellebant spicas, & multa similia.

Ad simplices. Aut occurrunt simplices, idiotæ, ignari & infirmi in fide (sicut Apostolus uocat) qui nondum possunt capere libertatem istam fidei, etiam si uellent: his parcendum est, ne offendantur & deferendum eorū infirmitati, donec plenius erudiantur: Hi enim quia malitia indurata non faciunt nec sentiunt ita, sed sola imbecillitate fidei, propter eorum scandalum uitandum, seruanda sunt ieiunia & alia, quæ ipsi necessaria arbitrantur, hoc enim charitas exigit, quæ neminem lædit, sed omnibus seruit. Non enim sua culpa, sed pastorum suorū, infirmi sunt, qui laqueis & armis traditionum suarum eos captiuauerunt & male percusserunt, a quibus debuerant liberari & sanari fidei libertatisq̃ doctrina. Sic Apostolus Ro. xiiij. Si esca mea scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Et iterum: Scio, q̃ per Christum nihil est commune, nisi illi qui putat commune esse, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.

Quare &

MARTINO LVTHERO AVTORE

Quare & si fortiter resistendum est magistris illis tradi-^{In leges & le}
tionum, & leges pontificum acriter vituperandæ, quibus ^{gislatores.}
in populum dei grassantur, turbæ tamen pauide parcendū
est, quam captiuam tenent eisdem legibus impij illi tyran-
ni, donec explicentur. Ita pugna strenue, cōtra lupos, sed
pro ouibus; non simul contra oues, quod facies, si in leges
& legislatores inueharis, & tamen simul serues eas cum in
firmis, ne scādalizentur, donec & ipsi tyrannidem cogno-
scant, & libertatem suam intelligant. Quod si uti uoles li-
bertate tua, in occulto facito. Sicut Paulus dicit, Ro. xiiij.
Tu fidem, quam habes, penes te metipsum habe corā deo,
caue autem, ne coram infirmis utaris; Rursum coram tyra-
nis & pertinacibus utere eadem in despectum eorū, mul-
to omnium constantissime, ut, & ipsi intelligant, se impi-
os esse & leges suas nihil esse ad iustitiam, quin eis nihil sit
ris fuisse condendi eas.

Cum ergo hæc uita agi non possit, sine cerimonijs & ^{Ad etate ad}
operibus, immo feruens & rudis ætas adolescentium opus ^{hucruces.}
habeat his uinculis arceri & seruari, & uniuersū corpus su-
um eisdem studijs castigandum sit, prudentem & fidelem
oportet esse, ministrum Christi, ut sic regat & doceat po-
pulum Christi in his omnibus, ne conscientia & fides eo-
rum offendatur, ne in eis opinio aut radix amaritudinis
oriatur, & per illam inquinentur multi (ut Paulus pramo-
nuit Hebræos) hoc est, ne amissa fide, incipiant opinione
operum inquinari, quasi per ipsa iustificandi, quod facile
fit, & plurimos inquinat, nisi fides constanter simul in-
culcetur; Impossibile uitari autem est, ubi tacita fide, con-
stitutiones hominum solæ docentur, sicut hæcenus fa-
ctum est, per pestilentes, impias, animicidas pontificum
nostrorum traditiones, & Theologistarum opiniones,
F iiij infinitis

DE LIBERTATE CHRISTIANA

in finitibus animabus ad inferos his laqueis pertractis, ut Antichristum agnoscere possis.

*Periculum in
cerimonijs.* In summa, sicut paupertas in diuitijs, fidelitas in negotijs, humilitas in honoribus, abstinentia in conuiujs, castitas in delitijs: Ita iustitia fidei, in ceremonijs perditatur. Nunquid (Ait Salomon) ignem quis in sinu gestare potest, ut non comburantur uestimenta eius? Et tamen ut in diuitijs, in negotijs, in honoribus, in delitijs, in epulis, ita in ceremonijs, id est, in periculis uersari oportet, immo, sicut in infantibus pueris, maxime opus est foueri sinu & officio puellarum, ne pereant, quibus tamen adultis, periculum salutis est, inter puellas uersari: Ita rudibus & feruentis aetatis hominibus opus est, ut ceremoniarum claustris etiam ferreis teneantur & castigentur, ne impotens eorum animus per uicia praeceps eat, & tamen mors eis fuerit, si in opinione iustificationis in eis perseverauerint, cum docendi potius sint, non ideo se fuisse sic incarceratos, ut per hoc iusti sint aut multa meriti, sed ne mala facerent, & ad iustitiam fidei facilius erudirentur, quod praecipue impetu aetatis, nisi praemerentur, non ferrent.

*Quo loco habenda
cerimonia.* Vnde ceremonia in uita Christiana alio loco habenda non sunt, quam apud fabros & artifices habentur praeparamenta illa, ad aedificandum & operandum disposita, quae non in hoc parantur, ut aliquid sint aut maneant, sed quod sine ijs aedificari aut fieri nihil possit, perfecta enim structura deponuntur: Hic uides, non ipsa contemni, immo maxime quari, opinio autem contemnitur, quia nemo existimat haec esse ueram & permanentem structuram. Quod si quis tam insigniter desperet, ut tota uita aliud non curaret, quam ut haec praeparamenta quam sumptuosissime, diligentissime, pertinacissime disponderet, nunquam autem de ipsa stru-

MARTINO LVTHERO AVTORE.

ipsa structura cogitaret, sibi placens & iactans suam operam in præparamentis & fulcris istis uanis, nonne omnes eius insaniam miserentur, & sumpto isto perdito, magnum aliquid ædificare potuisse iudicarent? Ita non ceremonias nec opera contemnimus, immo maxime quærimus, opinionem autem operum contemnimus, ne quis existimet illam esse uere iustitiam, sicut faciunt hypocritæ, qui totam uitam in his studijs fingunt & perdunt, & ad id, cuius gratia fiunt, non perueniunt. Seu ut Apostolus ait: Semper discentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes. Videntur enim uelle ædificare seseque parant, & tamen non ædificant unquam, ita manent in specie pietatis, & uirtutem eius non attingunt.

Placent tamen interim sibi in his studijs, ausi etiam omnes alios iudicare, quos simili operum pompa non fulgere uident, cum hoc uano sumptu & abusu donorum dei, si fide essent imbuti, grandia potuissent in suam, & aliorum salutem efficere. Verum cum natura humana & ratio (ut uocant) naturalis, sic naturaliter superstitiosa, & propositis quibusque legibus & operibus, prompta sit in opinionem iustificationis per ea adipiscenda, his adde, quia usu omnium legislatorum terrenorum, in eundem sensum est exercita & firmata, impossibile est, ut per seipsam se exuat a seruitute illa operaria, in libertatem fidei cognoscendam, ideo oratione opus est, ut dominus nos trahat, & theodidactos, id est, dociles deo faciat, & ipse in cordibus nostris (sicut promisit) legem scribat, alioquin actum est de nobis: Nisi enim ipse doceat intus hanc sapientiam in mysterio absconditam, natura non potest nisi damnare eam, & hæreticam iudicare, quia scandalizatur in ea & stulta ei apparet, sicut olim in prophetis & Apostolis uidimus accidisse, sicut &

*In insigniter
superstitiosos*

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

sicut & nunc mihi & mei similibus faciunt, impij & caeci
pontifices cum suis adulatoribus; quorum aliquando
nobiscum misereatur deus, & super nos illuminet
uultum suum, ut cognoscamus in terra uisum
eius: in omnibus gentibus salutare eius.
Qui est benedictus in secula.

AMEN.

ANNO DOMINI
M. D. XXI.

Th.dp.q.626/636,

© 2026 Universitätsbibliothek Würzburg